



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quàm Clericis
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum
Pastoribus perquàm utilis, & specialiter ...**

Herlet, Johann Georg

Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.

§. 14. De Proprio & Speciali Fine Ordinis Canonici Præmonstratensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37853

cujusmodi sunt purificare, illuminare & perficere Fideles; tenentur eandem cum Episcopis habere perfectionem. Alioquin *ab Immundo quid mundabitur? Eccli. 34.* Et ab imperfecto quid perficietur?

§. 14.

De Proprio & Speciali Fine Ordinis Canonici Præmonstratensis.

41. **Q**UAMVIS omnes Religiosi Status conveniant in eo, quod spectent purum ac perfectum Dei Famulatum, & conjunctionem cū Deo per charitatem perfectam: Nihilominus quævis Religio proprios insuper & speciales habet Fines, per quos ab aliis Religionibus differt, & ad quos obtinendos accommodata præscribitur media. Et quidem Ordinem Canonicum Præmonstratensem quod attinet, S. Norbertus illius Fundator duos speciales sibi Fines proposuit, & à suis Sociis ac Filiis proponi & intendi semper voluit. Primus est, *ut à Clericis Cultus purus, immaculatus & devotus Deo in templis seu in choro & Altari semper exhibeatur.* Circa quod notandum, quod temporibus S. Norberti Devotio & fervor in Cultu Divino valdè defecerit in Clero tam Regulari, quam Sæculari; sicut passim videre est apud Historicos, & in Conciliis eo sæculo celebratis. Cui malo ut mederetur D. Norbertus, cū frustra jam reformationem tentasset primò in Ecclesiâ Sanctensi sive Xantensi, deindè in Laudunensi,
Novum

Novum Canonorum Regularium Ordinem
 juxta Regulam S. Augustini anno 1120. insti-
 tuit, in quo Divina Majestas novo cum fervore
 & ardore diu noctuque laudaretur. Quod fa-
 ctum est tanto cum successu, ut certatim illius
 colonias ducere viri Principes variis in locis volu-
 erint, & primis octoginta annis ab illius institu-
 tione supra mille & octingenta Monasteria nume-
 rata fuerint; ut inquit Beyerlinck in theat. vita
 human. Unde Honorius Papa III. Benefaciens
 Dominus Bonis & Rectis corde, dilectos Filios,
 Fratres Præmonstratensis Ordinis in via Manda-
 torum ipsius inoffensè currentes tanquam popu-
 lum acceptabilem sibi, numero & merito amplia-
 vit. Nos igitur prædictos Frateres speciali præ-
 rogativâ dilectionis & gratiæ amplexamur, ut
 qui Domino jugiter offerentes suorum vitulos la-
 biorum, non solum nobis, sed etiam universali
 Ecclesiæ piis intercessionibus incomparabiliter sus-
 fragantur. &c. Alludit autem Pontifex ad illud
 Hebr. 13. Offeramus Hostiam Laudis semper Deo,
 id est, fructum labiorum confitentium Deo. Præte-
 rea Innocentius II. anno 1138. Gælestinus II. an.
 1143. & Eugenius III. à 1147. dicunt, Canonicos
 Ordinis Præmonstratensis majori studio Cuncti-
 potentis Dei servitio inhiare. Hadrianus IV.
 anno 1154 testatur, Præmonstratenses esse eos,
 qui propensius in Dei Laudibus atq; servitio com-
 morantes, sicut membra excellentiora in Christi
 Corpore numerantur. Innocentius IV. anno
 1248. dicit, eos Dei Laudibus sollicitè diligentia
 deservire. Alexander IV. anno 1256. ait, eos

E 4 *Domino*

Hel
 2
 Per



Domino gratum impendere famulatum. Denique Clemens VI. an 1343 dicit, eos *sedulum & devotum Altissimo impendere famulatum.*

42. Alter Finis specialis D. Norberti fuit *conveniēsis & debita Parochorum maxime ruralium administratio, & aliena Salutis hominum præcipue rusticorum, plebeiorum ac rudium studiosa procuratio.* Scribit enim Antonius à Gurnez Congregat. Oratorii Ordinis Presbyter in *Lacâ Parthen. c. 43. Malum socordie Parochorum tunc latè grassatum, & in Orbem infeliciter diffusum fuisse.* Quapropter ut populus Christianus deinceps perpetuò haberet bonos, exemplares & doctos Animarum Pastores, S. Norbertus, Ordinem suum cum approbatione Summorum Pontificum instituit ad hunc finem, ut in Ecclesia Dei esset perpetuum quodammodo Parochorum Seminarium; uti testatur Clemens Papa VIII. in Diplomate anno 1603. dicens: *Ad hoc Ordo vester est institutus, ut perpetuum sit in Ecclesia Dei virorum fortium seminarium, qui virtute Spiritus atrium fortis impavide intrent, eum ligent, & gladio Spiritus (quod est Verbum Dei) ejus vasa, animas scilicet Diabolicâ fraude deceptas, vasa bellantia contra Dominum, vasa vinculis iniquitatis irretita atq. captiva diripiant, & ex vasis contumelia faciant vasa gloria.* Exprimat tam hunc secundum quam primum Instituti Norbertini Finem præfatus Antonius à Gurnez his verbis: *Malo socordia Parochorum latè grassanti & in Orbem infeliciter diffuso Deipara per S. Norbertum, atq. Ordinem suum Candidum succurrat. Etenim*
 Prin-

Princeps Instituti Norbertus Canonicum ac Monasticum vitæ genus conjungens, contemplatricis & practicae exercitationis studiis Alumnos suos informabat; quò in omnem partem Ecclesie, (quæ conditio tunc erat remissa temporum.) Divinis Laudibus ardentissimâ Charitate promendis (en primum finem) prædicatione verbi Dei, & Parrocciarum sollicitâ administratione (en secundum finem) fructibus præclare redundantibus, citò mutatis in melius moribus, alia Ecclesiarum facies ubiq; resplenderet. Quod ita per eos factum est: Nam ab initis suis cum viri excellenti sanctimoniam, divinisq; literis egregiè instructi undiq; accederent, illos ad Animarum lucra ac prædicationis officium, deniq; ad Pastoralia Munia, ruri ferè obervanda, quaquaversum emittebant. Undè Aubertus Miræus in Chron. Præmonstrat. præfat. ait, jure Norbertina Monasteria posse sæcunda Parochorum Seminaria nuncupari. Et Nicolaus Crusenius Ordinis Eremitarum S Augustini, Theologiæ Doctor, ac per Bohemiam, Austriam, Styriam &c. Apostolicâ auctoritate Visitator Generalis, in Monastic. Augustiniano Part. 2. c. 20. refert, se in visitatione suâ deprehendisse, hoc esse apud Præmonstratenses particulare, quod in omnibus ferè Orbis partibus Pastoratibus deserviant, maximo animarum fructu, dum ex Monasteriis tanquam ex scientiarum ac benè vivendi Seminariis Probatiores ad pastoratus dimittantur &c. Deniq; Matth. Galenus Cancellarius Duacensis in Ep. dedicat. ad Origin. Monaster. ait, tot optimè administratus in hodiernum bestari Pa-

E s rochi-

Her

Par

rochias, quam operam navaverit D. Norbertus
abhinc plus minus quingentis annis Germania
tantum non sepulta in scitiâ.

43. Nè verò Finis unus impediret alterum,
S. Norbertus imitatus est Davidem, qui suos
milites divisit in duas turmas, & infirmiore ac
minus idoneam ad præliandum contra hostes
turmam voluit remanere ad sarcinas; fortio-
rem verò & robustiorem eduxit in Prælium contra
Amalecitas; ita tamen, ut in divisione præda
æqua esset pars descendenti ad prælium, & re-
manenti ad Sarcinas. 1. Reg. 30. Similiter ergo
Religiosos suos in quolibet Cœnobio dividi vo-
luit in duas cohortes & turmas S. Norbertus,
ita quidem ut Cohors ætate, viribus, scientiâ,
prudentiâ & spiritu Religionis debilior ac infir-
mior remaneret domi quasi ad sarcinas, hoc est
intra Claustrum septa se continens, Divino cultu
diu noctuque vacaret, ac insuper per quotidia-
na Exercitia Spiritualia, nec non per literarum
studia ad Animarum curam paulatim se dispo-
neret: Altera verò Cohors & turma fortior, &
in spiritu ac perfectione robustior, doctrinâq; pru-
dentiâ, & aliis ad sublime Regimen Animarum
necessariis qualitatibus instructior, foras ad pa-
storatus seu Parochias emitteretur. Noverat
enim vir sapientissimus, quod Ars Artium esset
Regimen Animarum, & onus ipsis etiam Ange-
licis humeris formidandum; requirens vi-
rum ex omni parte perfectum, & in Charitate
Dei ac proximi solidatum, qui aliis ita
profit, ut sibi non obsit; Quod officium
Chri-

Christus à suis Apostolis usurpari prohibuit, quoadusq; induerentur virtute ex alto. *Luc. 24.* Undè ipse ad Parochias & Curam animarum noluit quemquam promoveri, nisi priùs domi intra muros per vitæ contemplativæ exercitia se perfecisset in tantum, ut sine propriæ salutis dispendio, & cum aliorum utilitate ac fructu posset exponi: quia non obtinetur ordinariâ viâ perfectio vitæ Activæ, nisi præcesserit contemplativæ vitæ exercitatio; juxta illud S. Bernardi *serm. 18. in Cantic. En quanta priùs infundenda sunt, ut effundere audeamus; primò quidem compunctio, deindè Devotio, tertio pœnitentia labor, quartò pietatis opus, quintò Oratians studium, sextò contemplationis otium, septimò plenitudo dilectionis. Quam qui nondum adeptus est, periculosissimè promovetur & Animarum regimen suscipit, quantislibet aliis videatur pollere virtutibus.*

Quia autem frequenter accidit, quod ex confortio & conversatione cum sæcularibus hominibus dissipetur spiritus, & quibusdam terreni pulveris sordibus aspergatur animus (necesse enim est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere; ut inquit S. Leo *serm. 4. de Quadrages.*) Hinc S. Norbertus Parochos suos voluit subindè reverti ad solitudinem Claustris, & ibidem per spiritualia exercitia spiritum suum renovare. Ita enim necessarium esse, docuit nos exemplo suo Christus Pastorum Animarum Princeps, quando non solum ante initium suæ prædicationis secessit in solitudinem, exercitiis vitæ

Hec

Parochia

vita contemplativæ, Orationi scilicet, jejuniis &c. vacaturus. *Matth.* 4. Sed etiam postea in Officio prædicationis actualiter constitutus, frequenter solitudinem repetiit, & ibidem Orationi se dedit *Matth.* 14. & *Marc.* 6. non quod ipse tali secessu opus haberet, sed ut nobis exemplum præberet.

Præterea quia tutius est mori in Coronâ Fratrum precibus suis & exhortationibus ad Beatam Mortem adjuvantium; & ipsis etiam Parochianis atque Ecclesiis melius providetur per Ministros sanos & valentes, quam per infirmos & debiles; voluit S. Norbertus Pastores seu Parochos sui Ordinis laboribus & senio debilitatos ac viribus exhaustos redire ad Claustrum; ut in eo per reliquum vitæ tempus per opera penitentia abstergant, quod forte in tam periculoso & sublimi officio per negligentiam aut ignorantiam deliquerunt; sequæ hac ratione ad felicem mortem se disponant; memores autem illius sententia S. Augustini, dicentis, *Neminem post perceptum Baptismum, quamvis nullius peccati sibi esset conscius, absq. dignâ & competenti penitentia migrare hinc debere.*

44. Porro ex hoc duplici fine S. Norberti bene perspecto colligitur facile, quæ sit obligatio eorum, qui se Norbertinos profitentur, & Instituto S. Norberti sunt incorporati; scilicet ut primò in Ecclesiâ & choro Deo cultum purum, sanctum & gratum diu noctuque alacriter exhibeant, atque illa omnia, quæ ad talem cultum ritè præstandum pertinent, probè addiscant.

Secun-

Secundo, ut aliis simul exercitiis pietatis, & literarum studiis se ita impendant, quatenus necessarias virtutes & scientiam Officio Pastoralis competentem tempestivè & ante actualem curæ animarum susceptionem acquirant; atque sic præsto semper & in promptu sint, qui vel necessitate vel utilitate Ecclesiæ exigente possint tutò & sine propriæ salutis periculo, ac cum aliorum ædificatione exponi. Quæ si à Superioribus urgantur, & à Religiosis subditis fideliter compleantur, largam Dei Benedictionem in omnibus experientur; sicut experti fuerunt Nostri Antecessores, in quibus adhuc primus fervor Norbertinus vigeat; quibus Divina Liberalitas tantam contulit benedictionem, ut in Ecclesiis, ubi antecederet vix duodecim Alterius Ordinis Religiosi potuerunt sustentari, Fratres quingenti Præmonstratensis Ordinis commode fuerint sustentati; prout de Ecclesia S. Martini in Urbe Laudunensi testatur Hermanus Abbas S. Martini Torn. *An. 1142.* Et Beyerlink in *Theat. vitæ humanæ* refert, quod *unicum subindè Monasterium Ordinis Præmonstratensis mille Alumnos eduxerit in Ecclesiæ castra; nihil frequentius esset olim, quàm ut ducenti, trecenti, & plures in singulis Claustris invenirentur.*

Hæc de Fine, nunc ad media,



PARS

Heu

2
Pergone